

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Icones sive imagines virorum literis illustrium

Reusner, Nikolaus

Argentorati, 1587

Erasmvs Sarcerivs

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271751)

ERASMVS SARCEIVS
Theologus.



*Si carus superis, nulli grauis, omnibus aequè
Gratus eram: dic cur Sarcina raris Eram?*

M. D. LIX. O v

ERASMVS SARCKERIVS

Annæmontanus:

Liberalium artium, & virtutis sapientiz que
probè excultus studijs:

Sed in primis sacrarum literarum, quibus ope-
ram Vitebergæ nauauit sedulam,
scientiâ ornatus:

Quas non solum concionando, magno cum
pietatis zelo: sed & scribendo, propagare
atque illustrare pro virili conatus
est maximè:

Multis ingenij sui monumentis haud vulgari-
bus piæ posteritati relictis:

Lipsiæ primò Ecclesiastes, ac dein Nassouiæ
Comitatus Pastor & Antistes
fideliss:

Optimè de Ecclesia meritus:

Obijt Magdeburgi, anno salutis M. D. LIX,
Mense IXBR, D. XXIIIX,

IN ERASMV M SAR CERIV M
Theologum.

EPIGRAM MATA.

A. S.

Sunt hæc ora, gena, facies & pectus Erasmi
Sarcerij: hæc potuit pingere docta manus.
Verum nemo potest, quæ sit constantia mentis
Pingere: quin hoc non esset Apellis opus.
Impia qui nunquam deliramenta secutus,
Sincero fidei dogmate pascit oves.
Quas non concinnas fraudesq, minasq, potentum
Sustinuit, forti pectore dura ferens?
Nestoris eloquio similis facundia lingue
Illius tantâ cum gravitate fluit:
Vt merito, sibi quem studijs quaesivit honorem,
Ingenio & celebris fama per astra voler:
Fortior & tulerit quum tot mala multa ferendo:
Exilij fuerit pœna timenda licet.
Vt superet constans quoq, fata sequentia Christe,
Te duce & hunc maneant prosperiora, precor:
Atque Theonino patitur qua vulnere morsu,
Vulneribus sana, maxime Christe, tuis.

IOAN. LAVTERBACHII.

Accommodans multis, senectus à Deo.

Qui geris à sancto Sarceri nomen amore:
Non equidem frustra nomen Erasmus habes.
Religionis honos, artes, vitæq; decorum,
Radices ut agant spe meliore suas:
Das operam sancto mentem percussus amore:
Dum calamo, viuâ dum sacra voce colis.
Ingenij calamo quæ non monumenta relinquis,
Vt sarta, ut maneat gloria tecta Dei?
Quæ non suggesto facundus ab ore Pericles,
Quæ decet, ut faciat munia quisque, doces?
Religionis honos, artes, vitæq; decorum,
Vt Christo, fructu diuite, regna parent:
Extendat vitam longos Deus auctor in annos:
Quæ calamo, viuâ quæ sacra voce colat.
Est auctore Deo vitæ longæuior atas:
Quæ studio multis commodat usque suo.